

DISSERTATIO INAUGURALIS  
M E D I C A,

De

# PODAGRA,

*Quam*

SUMMO ARCHIATRO DEO T. O. M.  
P R Æ S I D E

Ex

CONSENSU & AUCTORITATE

*Nobilissima & Excellentissima*

FACULTATIS MEDICÆ,

In Illustrissima ac Celeberrima Electorali Bran-  
denburgica, quæ Duisburgi in Clivis  
floreit UNIVERSITATE.

Pro

Summis in Medicina Honoribus ac Privilegiis Docto-  
ralibus ritè & solemniter capeffendis

*Publica Eruditorum Disquisitioni submittit*

GEORGIUS ANDREAS OTHO,  
HANOVIENSIS WETTERAVUS.

*Die 24. Junii horis locoque consuetis.*

---

D U I S B U R G I ad R H E N U M,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.  
Anno M. DC. XCVIII.

15  
2

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO,  
D O M I N O

GEORGIO  
OTHONI,  
PHILOSOPHIAE D. LINQ.  
ORIENT. UT ET POESIOS IN  
CELEBERRIMA MARBURGENSIUM  
UNIVERSITATE PROFESSORI ORDIN.  
longè MERITISSIMO, nec non BIBLIOTHE-  
CARIO CURIOSISSIMO

PARENTI SUO ad cineres usque  
DEVENERANDO, COLENDO

*In aeterna gratitudinis memoria pro tantis et  
tot innumeris BENEFICIIS SIBI ab inco-  
nabilis praestitis, hanc suam Disertatio-  
nem Inauguralem*

DAT, DICAT, DEDICAT

GEORGIUS ANDREAS  
OTHO Filius.



I. N. S. S. T.

P R Æ F A T I O

A D L E C T O R E M.



*Uam diris, LECTOR BENEVOLE, iisque multifariis atrocissimis, mortales, post miserandum Protoplastorum nostrorum lapsum, omnes, & animi & corporis correpti fuerint morbis, aperte loquitur sacra, ac luculenter satis testatur profana historia,*

*imo clamat Experientia fidissima omnium rerum Magistra: Verum equidem non potuit nec voluit summus Archiater ac Medicorum Princeps, ex insigni sua Providentia intima, misericordia motus, agros miserrime decumbentes, inque statu desperatissimo versantes periculosè diutius relinquere ac morari, ne vulneribus illorum, Gangrana aut Sphacelo superveniente, corruptis ac immedicabilibus redditis, sanationis spes omnis evanesceret: Quare ipse in aeterno suo consilio Medico gloriose decrevit, agris, quorum curam ante jaeta mundi fundamina in se susceperat, quam primum manifestare, eorundem morbum haud incurabilem esse, adeoque nondum desperandum; imò verò se probatissimis Panacæis instructissimum in extremo morbi vigore, statim tempore venturum, ejusque effectus gravissimos seu symptomata unà simul ablaturum esse: Hoc & ipsum non tantum promisit, sed & prestitit: annuntiavit enim ad huc in horto Eden primis nostris Parentibus eorumque posteris & animi & corporis salutem, illis promittendo Mefiendiendo, ac eosdem adversus aëris injurias vestimentis muniendo, his reiteratione ejusdem promissionis salutaris per Prophetas data ac curatione multorum affectuum satis miraculosa, tandemque exhibitione fidelissimi sui servi, qui ab aeterno in Laboratorio caelesti perfectissimam omnium*

Medicamentorum cognitionem acquisiuit, populumque suum  
 ab interitu imminente potenter vindicavit; quid, quod pro  
 immensa ac ineffabili sua erga miseros bonitate ac clementia  
 & animi & corporis Medicos ante discessum suum ordina-  
 vit ac instituit, ne tam facile, sanitati restituti recidivam  
 patiantur, aeternum pereant ac crucientur. Ne autem sal-  
 cem, ut ajunt, in alienam messem mittere videat, novit-  
 ris, Lector Amice, me per aliquot annos olim studio Theolo-  
 gio seu Medicina animarum operam navasse, quam an-  
 tem cum ob infirmitates quasdam & rationes non leves ac  
 quod precipuum conscientiae meae satisfaciens derelinquere  
 coactus fuerim, Medicinam corporis humani priori substi-  
 tui, in qua scientia, ex fidelissima Celeberrimorum ut &  
 Experientissimorum Praeceptorum meorum nunquam non  
 colendorum, in Incluta hac Dysburgensium Universitate,  
 informatione feliciter ad portum perveni, Tentamine quo-  
 que ut & Examine rigoroso more consueti praegresso, Dis-  
 sertationem Inauguralem conscribendi libertatem natum  
 sum; quapropter Thema hoc de Podagra ex vastissimo Me-  
 dicinae campo penitus examinandum selegi, inque ejus cau-  
 sas accuratius inquirere opera pretium duxi, ea spe fretus,  
 fore, ut praecognitae ejus causae indubitatae, medicamentorum-  
 que cognitione in dies crescente, morbus hic satis alias rebel-  
 lis domari tandem possit. Momos, Zoilos hujusque sursum  
 alios non curo, veruntamen ipsorum impudentiam ac inve-  
 dias ridere non desino, cum sat superque miseri hi homi-  
 nes inviti licet testentur, ipsos morbo tabifico ex invidia  
 oriundo crudeliter sese consumituros esse. Tuum autem, Sum-  
 me Medice, auxilium animitus imploro, Teque devotissima  
 mente oro ac obtestor ut clementer captis meis studiis ad-  
 esse, eaque ita dirigere velis, quod omnia in tui praecipui  
 nominis gloriam, proximi commodum, multorum agro-  
 rum ac propriam meam salutem cedant.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
M E D I C A

De

## PODAGRA.

Thesis I.



E autem ἀμεθόδως, seu interrupto ac inverso ordine progrediamur, omnemque ambiguitatem ac obscuritatem evitemus, pauca quædam de Thematis nostri accuratiori eaque vera γένεσι ac origine præmittere animus est; non enim sentimus cum illis, nec eorundem placita ac sententias ex propria φιλαυτία deductas approbamus, qui eruditionem in vano ac stulto obscuritatis studio avidius quærunt, scientias & artes clarè & distinctè ad rationis summum aliàs tradendas ad ingenii sui modulum unicè metiuntur, ridiculis ac ineptis terminis ac distinctionibus magis magisque implicat & confundunt, sicque cælum cum terra miscentes, miscet sese ipsos prostituunt & ludibrio exponunt.

Thesis II.

Est verò PODAGRA vox origine Græca ex πῆς, δός, pes, & ἄγχα captura composita & sic quidem species quædam Arthritidis, quæ generaliter morbum articulorum seu artuum vitium ἀρθρον πόνον, vel tumorem articuli dolorificum, teste Galeno l. 6. M. M. c. 20. denotat: Licet vulgò vocabulo Podagra, pro quibusvis Arthritidis speciebus indigitandis, generaliter abutantur. Verbum ποδαγχαῖον, Podagra laboro, legitur apud Hippocratem 5. 6. aph. 28. & sequentibus, ut & adjectivum ποδαγχαῖνός d. l. aph. 49. 55. Tropicè etiam Podagra plantarum dicuntur, plantæ illæ aliis adnascentes quales sunt Cuscuta, Epithimum, Viscus &c. Fallop. de med. purg. simpl. c. 42. Tom. 1. oper. p. 116. Olim nona-

nonaginta species Podagræ seu Arthritidis numerâsse Æsculapium, patet ex Seren. c. 42. add. Keuchen. in notis p. 249. Verum potiores species sunt Chiragra, quando articulos manuum, Gonagra, quando genua infestat, Ischias seu dolor Ischiadicus, quando coxam vel coxendicem, & Podagra quando pedum articulos occupat: In dentibus juxta, Strobelbergerum dicitur *Ὀδονταγρία*. Præter recensitas tamen partes & scapulas & vertebrae colli & interdum sternum, affligit hoc malum. Vid. B. Ettmülleri Colleg. practic. de Arthritide p. 844. Tom. II. artic. VIII. Imò ibidem modo laudatus Auctor in sene quodam admodum Podagræ & alteram nasi medietatem affectam fuisse, observavit.

Theſis III.

Verum, quamvis diversæ hæ Arthritidis species in causa & cura ferè conveniant, nobis tamen hic & in sequentibus de specie in particulari nimirum de Podagra sermo erit, quæ haud inconcinne, ut puto, sic describitur; Quod sit, Dolor exquisitus ligamentorum & membranarum articulos pedum investientium ac colligantium ab acido plus minus volatili ac spirituoſo peculiari productus: Non autem negamus, sed lubentissimè concedimus ac approbamus periosium ob mirandum omnium totius humani corporis partium commercium ac harmoniam, inprimis in locis ossium articulationibus proximis simul affici ac pati; id ipsum enim acerbissimus dolor capita seu extremitates ossium immediate afficiens sat superque commonstrat ac confirmat.

Theſis IV.

Uti generaliter Arthritis ita & specialiter Podagra communiter & vulgò in calidam & frigidam dividitur, in illa ingens æstus, in hac frigus ægris admodum molestus est: Sed cum hæc divisio saltem ad sensum sit effecta, qua id quod percipitur cum ipsa perceptione confunditur, à verioris ac distinctioris Philosophiæ cultoribus suis Auctoribus tanquam inconveniens ac minus congrua merito remittitur ac rejicitur: Rectius itaque meo quidem iudicio ratione graduum materiæ peccantis dividitur in graviolem & leviolem, longiolem ac breviolem, quando enim acidum magis volatile & acre peccat, tunc rubor partis affectæ ut & æstus inten-

intensissimus accedit, symptomata omnia sunt atrociora, paroxysmi breviores sed vehementiores; si verò acidum obtusius ac viscidius prævalet tunc tumor magis œdematosus existit nec tam cito, diutius scilicet durante paroxysmo, evanescit. Porro per quam optimè dispescitur in Inveteratam & recentem, hæreditariam & adsciticiam, illas priores species indomabiles penitus, vel saltem curatu difficillimas, has verò posteriores sapiùs curatas esse Præctici plurimi fide dignissimi passim referunt: Inveterata nihil aliud dicit, quam fermentum (si ità dicere licet) Podagricum altiores radices egisse ac partes etiam solidas ut in aliis morbis affectis v. gr. Hæctica, Pthisi &c. Recens è contrario causam morbi adhuc in sanguine maximam partem fluctuare: Hæreditaria est quando unâ cum semine spirituoso causa morbi seu dispositio saltem ad morbum foetui in utero materno communicatur: Adsciticia, quando diuturno abusu sex rerum non naturalium ita dictarum ad præter naturalium differentiam, hoc malum sibi quis acquirit, de qua pluribus agemus inferius.

Thesis V.

Antequam ad causam Podagræ efficientem & proximam transitum faciamus, majoris elucidationis gratiâ, præmittenda quædam ac probè notanda esse, putavi: Nimirum sanguine, ut & vasis in corpore humano benè constitutis, ex continua sanguinis circulatione excrementa tam utilia in sua excretionem quam inutilia excerni; hæc sunt mucus oculorum, aurium insensibilis transpiratio, & similia; ad quæ etiam referri possunt, alvi, sudoris & urinæ excretio; Illa sunt Spiritus animales vel potiùs succus nervosus, lympa, bilis, succus pancreaticus, semen tam virile quam moliebre &c. Eorundem generationem seu excretionem, egregiè demonstratam pluribus videre poteris in eruditissimis Excellentissimi, Celeberrimi nec non Experimentissimi Dn. FRIDERICI GODEFRIDI BARBECK, Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris ac Professoris in Celeberrima hac Universitate ordinarii, Præceptoris mei ad urnam usque Devenerandi, Colendi, Institutionibus Manuscriptis quæ forte mox universo terrarum orbi communicantur Lib. I. De Physiol. c. 12. & seq. ad quas, affectatæ brevitas

vitatis ergò B. Lectores remittimus. Cùm autem præcipua instituti nostri ratio exigat, ut lympham, in qua proximam Podagræ causam latitare non dubitamus, exactiùs examinemus; lubet accuratam ejusdem generationem seu excretionem, ex Institutionibus, Fidelissimi nostri Præceptoris, modo laudatis, de verbo ad verbum hic apponere: Ubi, idem acidum, inquit, temperatum & aqua dilutum, cum sanguine tamen circulationem subit, ac in glandulis tum conglobatis, tum conglomeratis segregatur, lympham constituit generaliter sic dictam, sub qua etiam comprehenditur saliva, succus pancreaticus, fermentum stomachale, quod acidum in glandulis aliqua temporis diuturnitate maturatur, eodem modo ut succus uvarum, pomorum acidus & acerbus solis calore maturefcit ut & spirituum vivificatione dulcescit: sic acidum sanguinis in glandulis segregatum calore partium tum præfertim à spiritibus animalibus temperatur, maturatur ac dulcificatur, v. gr. Spir. nitri acerrimus, Spir. vini destillatione dulcificatur: Verùm in passionibus animi, pergit, ut ira & tristitia hic succus excernitur immaturus copiosè, atque hinc oritur tum in corpore tumultus ac sæpè morbus, imò aliquando mors. Lympham etiam prædicto modo generari testantur tot ac tam innumera vasorum lymphaticorum ramificationes ex ipsis glandulis ortæ. Cum hac etiam sententia consentiunt, Experientissimi ac longè Celeberrimi Practici, ut & felicissimi olim Anatomici B. Ettmullerus, Sylvius, Nuckius, Waldfchmidius, & hodie dum amplius confirmant in tota scientia medica versatissimi, Famigeratissimi D. D. Dorstenius ut & D. D. Nebel Medicinæ in Inclita Marburgensium Universitate Professores ordinarii, Meritissimi, Fautoribus ac Patronis mei ad cineres usque Colendi, Devenerandi.

Theſis VI.

Proximam itaque Podagræ causam constituit acidum plus minus volatile spirituosum peculiare in glandulis diversi generis lympham secernentibus ac præparantibus à sanguine segregatum quod deinceps cum sanguine ac lymphâ (quæ in statu naturali à Spiritibus animalibus ac mora quadam aliàs in glandulis ut supra vidimus dulcificata ac maturata existit ad quas vis ferè totius corporis



poris partes humectandas ac blandè oblinendas ) in vasis sangui-  
 neris per totum corporis habitum dispersis ad pedes quoque defer-  
 tur, in illorum glandulis generatur ac in articulationibus eorum  
 ad hunc morbum prædispositis ingentem ac intolerabilem ferè  
 producit dolorem ac diversissima nonnunquam Symptomata; quo-  
 rum præcipua, antequam ad causas remotiores ac Procataceticas  
 investigandas nos accingamus, enumerabimus, quo omnia ea ex  
 causa data commodè ac apertè fluere demonstremus.

Theſis VII.

Non autem continuò ægri Podagra afficiuntur ac laborant,  
 sed diversis jam longioribus jam brevioribus, vehementioribus ac  
 remissoribus pro materiæ vitiosæ diversitate ac turgescencia affli-  
 guntur paroxyſmis; Quos sequentia signa Diagnostica plerunque  
 præcedere ac comitari solent. Alvus adstrictior, Cardialgia, ex-  
 crementi intra digitos pedum consueti absentia, tensio circa ar-  
 ticulos, dolor pungens, lacerans, pulsans ac nonnunquam ardens  
 plus minus intensus, tumor mox Erysipelaceus, mox Oedematosus  
 pro diversitate subjectorum ac graduum materiæ peccantis, anxietas  
 in incremento paroxyſmi major, in statu contra minor, sitis, Lypo-  
 thymia. In incipiente Podagra ut plurimum major pollex unius pe-  
 dis afficitur, denique & alterius occupatur: In inveterata articulo-  
 rum motus imminuitur & articuli fiunt debiles, flaccescunt, laxan-  
 tur, interdum membra manent rigida: Febris sæpè accedit sympto-  
 matica, quandoque Podagra est symptoma Febris: Urina podagri-  
 corum ferè coincidit cum urina Scorbuticorum, est enim in alio ci-  
 tina cum salinis spiculis refertissima, in alio alba ad colorem livi-  
 dum tendens seu glauca & atomi rotundæ per totam Urinam spar-  
 sam natant: Plura egregia & satis curiosa de Urinis inspiciendis ju-  
 dicia videantur in Experientissimi ac Celeberrimi Viri CHRISTIANI  
 de HENNIN Græcæ linguæ ac Eloquentiæ Romanæ Professoris Or-  
 dinarii, Medicinæ verò Extraordinarii in hac Academia Duisbur-  
 gensi Dignissimi, Præceptoris ac Patroni mei nunquam non Co-  
 lendi, tractatulo Manuscripto de Urocristi privatim nobis dictato.

Theſis VIII.

Antequam verò ulterius pedem moveamus symptomata modo  
 B enumerata

enumerata ac signa Diagnostica constituentia ex causa proxima superius data breviter, dilucidè tamen deducenda putavi, quo ex catenata eorundem cohaesione causæ assignatæ certitudo sufficienter pateat. Alvus itaque adstrictior oritur ex acido isto podagrico intestinorum glandulas constringente ac coarctante, ita ut lymphæ non satis temperata intestinorum cavitates madefacere alvumque lubricitare nequeat, vel idem acidum bilis oleositatem nimis enervat, & sic ejusdem defectu excrementa redduntur duriora: Quando idem acidum sub forma halitus superius ventriculi orificium ac œsophagum irritat, Cardialgiam producit: Porro ad pedum digitos una cum pituita delatum poros eorundem plus minus obstruit, sicque non mirum excrementa circa pedum articulos imminente paroxysmo deficere: Deinde si majori copia adsit plus solito distendit ac abbreviat articulorum tendines & sic tensionem molestam ægri percipiunt: Ab eodem acido plus minus puriori nervosam ligamentorum & articulorum superficiem lædente, dolores supra memorati originem trahunt ac plus minus ægrum torquent: Ab eodem acido magis volatili & acri existente ac sanguine plus minus stagnante, æstus oritur intensissimus ac tumor Erysipelaceus; E contrario ab obtusiori ac viscidiori, dolores remissiores ac tumor œdematosus producit: In incremento majorem anxietatem sentiunt ob majorem hujus acidum motum ac agitationem: In statu autem minorem ob idem acidum quodammodo mitigatum ac subactum: Sitiunt vel quia non sufficienti copia lymphæ in glandulis salivalibus excernitur, vel quia nimis acris existit præsertim in calida vulgò dicta: Lypothymia afficiuntur, ob lympham acriorem sanguinis effervescentiam in corde vitiantem ac ad tempus sistentem: Major pollex in incipiente prius afficitur denique & alter; quia pededentim magis ac magis hoc acidum in corpore humano cumulat ac successivè in partes viciniores proserpens, easdem miserè affligit: Articulorum motus in inveterata diminuitur, articuli ipsi sunt debiles, flaccescunt ac nonnunquam laxantur, vel ob fortem partium nervosarum obstructionem, Spirituum animalium influxum impedi-entem, vel ob eorundem ineptitudinem ad motum, vel quod præcipuum

quum ob sæpius iteratos paroxysmos tonum musculorum ac membranarum pedum enervantes ac destruentes: membra interdum manent rigida, ob tophos seu nodos intra articularum contracturas concretos & collectos; quos tophos sequenti modo generari putamus, quòd scilicet in iis, qui sæpius Podagra corripitur pori pedis exteriores ab acido isto viscido penitus ferè obstruantur ac coarctentur, ut sic ob impeditam insensibilem transpirationem effluvia alias exhalanda in superficie cutis seu potius intra eam & cuticulam coalescant ac condensentur: Eorundem examen chymicum vide in Kerkringii Spicileg. Observ. 28. & M. A. N. C. App. ad Observ. 65. pag. 395. Tandem idem acidum sanguinem simul ingrediens, cor & arterias solitò magis irritat & sic febrem efficit.

Theſis IX.

Causas Podagræ remotiores s. Procataceticas constituunt tam res præternaturales, quàm non naturales sic dictæ, quæ omnes in corpore humano acrimoniam acidam augere ac acere aptæ esse sunt: Sic primas tenet hæreditaria ad hunc morbum dispositio, quando acidum istud Podagricum in congressu cum semine fræm communicatur; Nobilem enim se curasse testatur juvenem B. Etmüllerus, qui ab incunte octavo ætatis anno Podagra correptus fuerat, quod parens ejus & ipse insigniter Podagricus in ipso paroxysmo cum generat: In Collegio suo Practico pag. 846. T. n. Tandem Scorbuticos Podagra admodum obnoxios esse, atrociusque ea affligi apud Practicos in confesso est, non enim custodiendum semper Podagram hæreditariam esse, cum aliquando etiam contagiosa observata fuerit idque mediantibus vestibus, teste Bartholino Hist. Med. in M. A. N. C. Anno 6. & 7. Observat. 143. pag. 205. & anno 9. & 10. Observat. 44. pag. 118. & 119. Aer ut & reliquæ res non naturales, quomodo symbolum suam conferant, paucis ostendemus: quando scilicet multis particulis acidis volatilibus ac tartareis scatet, eæque vel per inspirationem vel quovis alio modo sanguini ac reliquis humoribus confunduntur, eos aciores reddunt ac vitiosam effervescentiam excitando, acidum corporis humani aliàs blandissimum ac

vario modo vitiant: Cibi acidiores ac viscidiores nec non falsi ac fumo indurati diutius ac frequenter assumti, acidum in corpore humano cumulant, dum bilis acrimoniam nimis temperant ac mitigant. Potus acido spirituosiores largiter ingurgitati eundem effectum fortiuntur, acidum enim istud nocivum ob nimium abusum acidorum, à bile & acido stomachi blando superari ac corrigi non potest. Motus nimius acidum in corpore auget, quatenus particulae volatiliores aqueae, falso-lixiviosae ac oleosae acidum temperantes nimis dissipantur, sic acidum praedominium accipit viresque suas variè exerit. Quies nimia, pituitam in toto corpore auget, bilem vitiat ut acidum infringere inepta sit: Somni nimii & vigiliarum nimis protractarum par est ratio, in somno enim sanguis non sufficienter quassatur ac movetur & in vigiliis nimis Spiritus subtiliores humores aliàs in corpore dulcificantes avolant, eosque acriores relinquunt. Excretiones nimiae v. gr. sanguinis per haemorrhagias quascunque, seminis aliorumque humorum acido praedominium ratione debitaë proportionis concedentes, totam massam sanguineam acriorem reddunt: Retentiones etiam nimiae, omnia acria reddunt acriora pro diversitate subjectorum: Animi Pathemata, quia inordinatè corpus movent, succos seu humores minus elaboratos ac immaturos exprimunt, qui sic acriores in corpore fluctuantes, bilem nimis enervant, effervescentiam vitiant ac varia dramata in corpore humano ludunt; Hinc non immeritò plerique Practici Bacchum, Venerem ac iram tanquam remotas seu procatacticas causas principales accusant.

#### Thesis X.

Hoc autem malum latissimè radices spargit, cujuslibet enim conditionis homines indiscriminatim invadit, cujusunque tandem sint status, ordinis, sexus, ætatis: Sic ut difficile primo intuitu excusari possit Magnus noster Hippocrates, quando dicit Aph. 28. S. VI. Eunuchi ex Podagra non laborant, nec fiunt calvi: Et Aph. 29. ejusdem S. Mulier ex Podagra non laborat, nisi menstrua illi deficient: Et denique Aph. 30. Pueri ex Podagra non laborant, antequam Venerem exercuerint. Quamvis verò hi Aph.

in Aph. aliquomodo rationibus haud spernendis dilucidari possint, nobis tamen placet *Distinctio Aph. à Celeberrimo HENNINO Præceptore nostro fidelissimo prudenter excogitata*, quando triplicem ordinem ac diversitatem aph. sequenti modo ponit: Nimirum (1.) quosdam esse absolutè veros (2.) quosdam maximam partem seu plurimum veros (3.) denique quosdam veros quidem, sed restrictos ad locum & tempus & modum vivendi ejusque ætatis, quo Hippocrates scripserit: *Commodè ergo dubii hi Aphor. ad tertiam hanc classẽ referri possunt; Quis enim nescit prisca avi innocentiam & temperantiam? quæ passim ab omnibus fide dignissimis Historicis nec immerito ad cælum efferuntur, haud enim otio ac genio suo unicè indulgentes, nec tanta ciborum ac potuum varietate gaudentes, virium suarum robur labefactarunt, verum continentia admiranda longævitatẽ sibi compararunt: Quare eleganter Seneca de Mulieribus; Non natura, inquit, sed vita Mulierum mutata est; quod & pari modo ac eadem veritate de Emuchis ac pueris dici potest, ut & ipsa Experientia satis testatur: Porro rectè etiam ad locum respicitur, certum enim est, quosdam morbos huic quàm illi Regioni esse magis familiares, sic in Græcia potuerunt quædam contingisse, quæ apud nos non observantur & vice versa.*

*Thesis XI.*

*Quantum ad differentias, Podagra à reliquis speciebus superioribus traditis, partim ratione loci affecti, partim ratione doloris plus minus intensi imprimis distinguitur: Alius enim dolor in Chiragra, alius in Gonagra, alius in Podagra sentitur, nulla enim corporis pars eundem patitur dolorem, sed quævis peculiari dolore afficitur, quod unicuique accuratius attendenti evidentissimum erit: Dolor Ischiadicus est acerbissimus, in principio autem reliquis interdum Arthritidis doloribus facilius sanatur; Veruntamen temporis progressu femoris luxationem, claudicationem & atrophiam inducit: Probè autem distinguendus est ab illo dolore, qui quidem vehementissimus est, sed nec tumorem sibi adsciscit nec semper circa articulum, sed in mediis spatiis intra articulos consistit, sæpè postquam hominem semel atque iterum afflixit,*

toto vitæ tempore non revertitur; Porrò hoc proprii habet, quòd latius quàm in aliis articulis & sæpè ad vicina loca, tum propter ossis Coxendicis amplitudinem, tum nervorum, qui à lumbis & ossè sacro ad eam articulationem veniunt, in diversas partes distributionem diffundatur; Denique curatur difficillimè, tam propter loci profunditatem & amplitudinem, quàm propter materiæ colligi solitæ copiam. Hic dolor vulgò Arthritis vaga dicitur, sed admodum impropiè; est enim nihil aliud quàm symptoma scorbuti.

Thesis XII.

Prognosis itaque ex hæcenus enarratis facili negotio cruetur: Nam Podagra non est morbus lethalis, licet vehementissimis acri Podagra detenti divexentur ac crucientur doloribus: Sæpè enim diu vitam protrahunt ac ad seram senectutem perveniunt, & extra paroxysmos nisi in malo inveterato satis commodè habent: Quare à quibusdam vocatur; *Eine gesunde Krauckheit*. Et potius ex Podagra deficiente, quàm eadem certis paroxysmis superveniente, moriuntur. Quoties alvus adstrictior est & consuetum excrementum intra pedum digitos non reperitur & crura intumescunt paroxysmus instat. Curatio Podagræ in genere est difficillima, tam in, quàm extra paroxysmum tum ratione ipsius morbi, ob Diætæ errores & alia, tum ratione Paroxysmi, quòd humores vitiosi per ligamenta, membranas, tendines ac nervos dispersi propter earundem partium densitatem ac glutinositatem difficulter discutiantur. Nulla, si morbus aliquis lethalis ei conjungatur, si adsit luxatio, quia licet articulus reponi possit, tamen ligamenta mœnent laxiora; Si in luxatione cavitas articuli materia tophacea repleatur, quia antequam ista tollatur, articulus reponi non potest, illa a. tolli nequit, si sit hæreditaria. Rhumelius eleganter distinguit inter Podagram hæreditariam, nodosam & solutam & hanc curabilem, illam incurabilem esse, ait. Attamen etiam soluta nisi recens, subinde inter incurabiles à Præcticis recensetur. Quoties dolores sensim ingravescent ac superiores corporis partes petunt, periculum subest: Item quòd plura combinantur Symptomata, eò difficilior curatur, ut fit, quando ab externis

ternis repellentibus ac stupefacientibus incautè adhibitis ægri in anxietates, Asthma, Colicam, Epilepsiam, convulsiones, Palpitationem cordis, lipothymias & alia graviora mala conjiciuntur.

Thefis XIII.

Podagra autem secundum B. Ettmüllerum quatuor plerunque solvitur modis (1.) Ordinariò ferè in totum finito paroxysmo discutitur morbus in articulo, ut nullum sui relinquat vestigium; nisi successu temporis superveniant nodosæ protuberantiæ seu topi. (2.) Quando tumor podagricus in materiam Ichorosam, aut sanie purulentam mutatur, quæ partibus intercutaneis erosio foras exudat, quod rarius accidit (3.) quando topi post paroxysmos relinquuntur & (4.) denique, quando incipiens paroxysmus sua tempora non absolvit, aut planè deficit, acido podagrico alias partes extra articulos occupante; id quod pessimum esse dicit & mille mala secum trahere. In Colleg. suo Practic. de Arthrit. p. 847.

Thefis XIV.

His ita præmissis ad curationem, nos accingamus, quæ duplex institui debet pro duplici tempore (1.) Curatoria, tempore paroxysmi & (2.) Præservatoria, tempore extra paroxysmum. Instante itaque paroxysmo, Vomitorium propinetur, sed præmissis digestivo, acidum Podagricum temperante ac mitigante ejusque actionem infringente ac concentrante vel absorbente, quod omnium optimè Medicamenta terrea seu terrestri principio constantia seu abundantia præstabunt v. gr. Terra sigillata, Lemnia, Lapis Haematit: bolus armena, oculi cancri, creta, C. C. uslum, Ebur, Sanguis Draconis, Corallia, succinum, Perlæ, mater perlarum, Ferrum, crocus Martis & hujus generis similia; ex quibus variæ pro agrorum desiderio formulæ concinnari possunt: Sic ℞. Oc. cancr. drachm. j. Corall. rubr. præp. scrupul. j. Sal. tart. scrupul. ℥. M. F. Pulvis pro ij. dosibus. Vel.

℞. Aq. C. bened. unc. ij.

Petrosel.

fœnic. aa. unc. j.

Oc. cancr. drachm. ℥.

Antim.

Antim. Diaph. scrupul. j.  
 Arcan. duplic. Mynsicht. gr. xv.  
 Spir. sal. armon. gr. xx.  
 Sal. vol. lumbric. scrupul. ꝑ.  
 L. Opiat. gr. iꝑ.  
 Syr. cort. aurant. drachm. vj. M.

Sæpius æger de die fumat cochleare.

Notandum & hæc Medicamenta in ipso paroxysmo convenire, adeoque vel possunt repeti, vel alia in eorum locum substitui.

Theſis XV.

Acido itaque podagrico aliquatenus mitigato ac concentrato (nulla enim Medicamenta adhuc nota sunt, quæ acidum absque præcedanea præparatione educere possint) vomitorium propinetur, inter quæ omnium excellentissimum est Tartarus Emeticus ritè paratus ex Vitro Antimonii, Croco metallorum & Chryſtallis tartari. Dosis ejus est à gr. ij. iij. ad jv. v. gr. ꝑ.

Sach. cand. scrupul. j.

Tart. Emet. gr. iij. M. F. pulvis pro dosi. Potest etiam addi gr. ꝑ. vel j. Mercurii vitæ.

Theſis XVI.

Alvi etiam ratio probè habenda est, is enim ut plurimum benignior in paroxysmo esse solet; Cavendum autem sedulò, ne fortioribus purgantibus stimuletur, quibus ne quidem cedit, sed potius ingentia tormina hinc inde in corpore excitat, quare potius laxantia ac Enemata emollientia ac aperientia in usum vocanda v. gr. pilulæ aloëticæ, passulæ laxativæ, pruna laxativa. Vel

ꝑ. Crem. tart.

Sal. Centaur. min. aa. gr. x.

Diagrid. gr. v.

M. F. pulvis laxans pro j. dosi. Vel

ꝑ. Pulp. tamarind.

Cass. fistul. aa. drachm. iij.

Tart. vitriol. scrupul. j.

M. F. bolus laxans pro j. dosi. Vel

ꝑ. Rad. Alth. Malv. aa. unc. j.



Fol. Malv. mercur. melilot. aa. misſ.

Flor. Chamom. Verbaſc. aa. p. ij.

Coq. in ſ. q. aq. commun. in Colat. unc. viij. diſſolve Electuar.  
lenitiv. unc. iſſ. Ol. lil. alb. unc. j. Sal. gemmæ drachm. ij. M. F.  
Enema calide injiciendum.

Theſis XVII.

Venæ ſectio planè non indicatur, imò incautè in uſum vocata  
maximè nocet, vires enim ægrorum proſternit, ac motus quaſi cri-  
ticos fermenti podagrici ad articulos impedit, uti obſervavit Bec-  
cherus Phyſ. Subterr. L. 1. p. 493. verùm in ſumme Plethoricis  
& in quibus ſanguis tumultuariò efferveſcit V. S. inſtitui poteſt,  
ſed tantùm in principio, antequam malum hoc plures articulos  
occupaverit. Vid. Williſum de Anim. brutor. L. 2. c. 14. Alii  
V. S. ſub incremento dolorum, cucurbitulas ſcarificatas ſubſti-  
tuunt, ac loco ſcarificato ſal commune probè toſtum adſpergunt,  
auxilio quidem doloroſo ſed interdum proficuo, uti reliquit ſæ-  
pius Laudatus Etmüller. Sed probè obſervandum ne hac inci-  
ſione nervi aut nervoſæ partes lædantur, & ſic morbum curatu-  
rus, malum augeas.

Theſis XVIII.

His ita notatis ac pro circumſtantiarum ratione probè perpèn-  
ſa, ipſe paroxyſmus eſt tollendus, quod optimè præſtabunt Medi-  
camenta acidum concentrantia ſ. abſorbentia, quorum ſupra men-  
ſionem fecimus, ut & Sudorifera & Diuretica ſale volatili oleoſo  
abundantia, ac blandè acidum iſtud podagicam è corpore per  
poros ſubcutaneos ac vias urinarias eliminantia ac eicientia,  
qualia ſunt: Spir. Sal. arm. C. C. Ebor. cran. hum. Carminat.  
Cochl. fulig. Item tam ſalia volatilia, ſal vol. C. C. Ebor. vi-  
perar. tart. lumbric. & ſimilia, quàm ſalia fixa, ſal. C. bened.  
Centaur. min. ſcord. ſtipit. fabar. Ononid. geniſſ., Tartar. &c.  
Theriaca & Mithridatium inter composita meritò laudantur. Hæc  
enim omnia Medicamenta egregiam vim habent acidum quod-  
cunque corrigendi & infringendi, ac per ſudorem & urinas eli-  
cendi: Ideoque

℞. Oc. canc. Corall. rub. præp. aa. drachm. j.

C

Sal.

Sal. vol. C. C. ebor. aa. scrupul. j.  
 M. F. pulvres no. tres, in conveniente liquore, mane, meridie  
 & vesperi assumendi. Vel

℞. Theriac. a. Mithridat. drachm. j.

Sal. cent. min.

stipit. fabar. aa. scrupul. j.

M. F. bolus sudoriferus in vino assumendus.

Aliæ formulæ à quovis perito possunt concinnari.

Theſis XIX.

Antiscorbutica in nostro affectu quandoque mira præstant, radix enim Podagræ non rarò apud nos est à Scorbuto: Sic Petrus Johannes Faber podagricis Antiscorbutica cum successu dedit; nempe succum cochleariæ & anagallidis aquaticæ cum Spir. vin. tartarifato. Hinc quoque trifolium aquaticum seu palustre in cerevisia coctum & usurpatum mirè podagricos juvare legitur, M. A. N. C. Anno 4. obl. 123. Decocta etiam lignorum temperatiora apprimè conveniunt; sic Podagram hæreditariam universalem Decocto lignorum curatam refert Salmuth Cent. 3. Obl. 74. quod confirmat Riverius Centur. 2. Obl. 50.

Theſis XX.

Præmissis itaque universalibus in sine augmenti seu statu proximi externa conveniunt omnia medicamenta poros cutis aperientia, acidum corrigentia, concentrantia ac discutientia, ut & dolorem sedantia seu Anodyna; Uti sunt omnia Unguenta, Cataplasmata, Olea aromatica sale volatili oleoso abundantia ac terrea, quæ videantur supra, fœtus ac balnea tam naturalia quam artificialia, ex herbis copioso sale volatili constantibus parata: Repellentia vulgò dicta ut & adstringentia, quia poros subcutaneos occludunt ac fibras contrahunt sicque malum augment, tumores ac inflammationem majorem producunt cane pejus & angue vitanda. Nos brevitati studentes pauca quædam norabimus. In Podagra itaque calida vulgò ita dicta.

℞ Aq. Sperm. ranar. unc. iij.

Camph. gr. x.

Croc. gr. viij.

Spir.

Spir. sal. armon. drachm. j.

M. F. Epithema loco affecto cum linteis duplicatis calidè applicandum ac sæpiùs de die reiterandum. Vel

℞ Panis biscoct. unc. iiij.

Fic. ping. no. iij.

Mucilag. sem. cidon. cum lacte vaccino extract. q. s.

F. leni cõctione Cataplasma; Adde Camph. Croc. aa. scrupul. ss. Sach. saturn. scrup. j. calidè applicetur: Summoperè laudatur remedium Lindani sequens:

℞ Flor. sambuc. contus. q. v.

Injice ollæ recenti, donec exactè plena sit, hanc benè clausam sub terra defode, donec flores in liquorem abierint, sed necesse est stent per aliquot tempus, donec flores computruerint. Hic liquor calidè applicatus, egregiè dolores podagricos compescere dicitur. In frigida vulgò dicta

℞ Ungu. Martiat. unc. j.

Sapon. venet. unc. iss.

Camph. drach. v.

Sach. Saturn. drach. iv.

Croc. drach. j.

Spir. lumbric. terrest.

vel Sal. arm. q. s. ad solutionem.

M. F. Linimentum, quo penna illinantur partes dolentes. Egregium etiam remedium est Oleum sapon. venet. destillatum; Ut sequens oleum ab amico quodam mihi communicatum;

℞ Ol. ter. lib. ij.

Raf. C. C. lib. iiij.

Succ. lib. ss.

Camph. Castor. aa. unc. iiij.

thur. myrrh. aa. unc. vj.

Ceræ flav. unc. iij

M. ac destilla per Alembicum & obtinebis oleum penetrantissimum. Tandem traditis remediis frustra adhibitis vesicatoria ex cantharidibus imponantur, aut cauterium levius actuale ex Moxa finitica, quæ tanquam specificum ad hunc affectum tollendum commendatur,

mendatur, sed coincidit ferè cum nostrarum herbarum lanuginibus, quæ idcirco substitui possunt v. gr. Artemisiæ, Marrubii, Stœchados &c. Ad tophos post multos paroxysmos residuos laudatur casei veteris cum decocto carnis suillæ applicatio. Ab aliis plumbea bractea subtilis per mensem imposita; ut & Spiritus calcis vivæ illitus; de cura eorundem, qui plura desiderat, adeat Hartmanni praxin, ubi inter aliâ egregium ejus emplastrum attractivum reperiet §. 39.

## Thesis XXI.

Quod curam præservatoriam seu tempus extra paroxysmum attinet, in id unicè incumbendum, ut radix podagræ extirpetur ac è corpore evellatur, quem in finem conveniunt non tantum remedia Diætetica, sed & Pharmaceutica & Chirurgica. Diætam itaque servabunt exactissimam in omnibus VI. rebus non naturalibus, maximè sibi cavendo ab aëre frigido, austero, acerbo, à cibis ac potibus crassis, viscidis, acidis, penitus abstineant, motum & quietem, somnum & vigiliis servent moderatas, excreta & retenta sint naturalia, Animi *passiones* graviores iram, odium, tristitiam, metum & similia eant pejus & angue vitabunt, hæc enim omnia uti notissimum malum hoc exasperant ac augent: Nonnunquam proficuum erit aërem mutare per suscepta itinera ac peregrinationes: Novi enim quendam, qui dum castra sequebatur, non ita Podagra afficiebatur, uti jam domi permanens. Sed pius adhibeant usum antipodagricorum ut & antiscorbuticorum, qualia sunt Chamædris, Chamæpitys, Aristolochia rotunda, Rhaponticum verum, Cochlearia, Nasturtium, Becabunga & sim. Potus esto infusum Thee, Veronicæ vel Coffee, Cerevisia tenuis benè defæcata, vina quævis acida Rhenana vitentur sedulo; feminis nimia excretio non convenit, consumit enim Spiritus animales acrimoniam alias in corpore temperantes; in ira & cæteris affectibus gravioribus succi immaturi copiosius exprimuntur, & sic nonnunquam statim paroxysmum producant. Curatio per læquidem tædiosa & molesta est, sed aliquoties penitus Podagram eradica vit; modum utendi vide sis in Disputatione lectu dignissima, De cura lactis podagricorum solatii à D. D. Waldeshmido Marburgi

Marburgi habita: Ex Pharmaceutica secundum omnes Practicos  
conveniunt Vomitoria ac Purgantia sequentia, sed non in majori  
dosi usurpata v. gr. Mercurius dulcis, turbitih minerale cum Spir.  
Sulph. paratum, Helleborus niger, Colocynthis & sim. præci-  
pue vere & autumno circa solstitia. Sudorifera etiam suam lau-  
dem merentur? Diuretica verò in cura præservatoria sunt optima  
præcipue lumbricalia, Spir. sal. arm. Spir. C. C. liquor C. C.  
Succin. arcan. duplic. Mynsichti, sal armon. depuratum, borax,  
sal volat. Succin. & similia. Ex fonte Chirurgico Vênæ Sectio  
non adeò ut supra vidimus convenit, nisi in summè Plethoricis;  
Quidam commendant scarificationem pedum juxta pedis pollicem,  
vna vel altera hora ante novilunium institutam. Foniculi in se-  
rosioribus subjectis paroxysmos podagricos egregiè præservare  
sancuntur.

Theſis XXII.

Denique & articuli sunt roborandi, cui scopo lixivium ex ci-  
vibus fagi paratum & aliquoties colatum cum pari quantitate  
vini & unciis ij. aluminis inservit. Vel,

℞ Bacc. laur. Junip. aa. unc. iij.

Herb. rorism. m. vj.

Salv. thym. aa. m. j.

Flor. Chamom. Lavend. aa. p. j.

hæc. & contus. coq. in lixivio pro pediluvio, vesperi antequam  
æger lectum introeat, instituendo, postea pes adhuc humidus  
tenuis involvatur & æger se in lectum conferat: Sufficit hoc bal-  
neum pro pluribus vicibus.

Ex hæc sunt B. L. quæ pro ingenii modulo in solatium Podag-  
ricorum afferre volui; Deum animitus rogitans, ut tandem ex  
liberalissima sua benignitate Medicamenta certiora ad morbum  
hunc acerbissimum profligandum ac radicitus evellendum com-  
monstrare velit: Cæterà pro auxilio suo præstito æternas ipsi ha-  
beo gratias, nihil magis in votis habens, quàm ut studia mea ante  
omnia in sui nominis gloriam ac multorum ægrorum commo-  
dum vergant.

F I N I S.

C 3

Acutif

*Acutissimi Ingenii & Variis Eruditionis Juveni,*

GEORGIO ANDREAE OTHONI

Artium Salubrium Candidato meritissimo S.

**D**Um Podagræ lentos emendas arte dolores,  
 Dum faciles præstat lenis Hygeia pedes:  
 Ipse Tibi plaudit gratans Epidaurius Heros,  
 Atque pedum monstrat molliter ipse Viam.  
 Hæc Via sed cælo tandem Te trita locabit,  
 Qua toties felix itque reditque Salus.

*Benevolentia, Memoria & Voti mei tesseram hanc  
 Celeberrimi Parentis, Doctoris quandam mei  
 optimi, Filio, in Artibus, Salubri, Humanis  
 & Philosophicis versatissimo, industria  
 hæctenus Auditori meo, L. M. P.*

HENR. CHR. de HENNIN,  
 D. & Art. tam Medicar. quam Hu-  
 manior. Prof. Publ.

**S**ic equidem ducebam animo rebarque futurum,  
 Ut Te Duisburgi culta Lycea vident;  
 Vate satum Medicum: velut ille ab Apolline natus  
 Arte Machaonia fulsit in orbe fenex.  
 Scilicet ingenuas quas indolis ardor ad artes  
 Cogit, & ad laudis nomina sanguis agit.  
 Hos ad summa boni, magno velut impete Virtus  
 Ignea, quæ remoræ nescia, sponte trahit.  
 Hæc virtus Patris est, contermina nomine Cælo,  
 Hæc sunt ingenii præmia digna Tui.  
 Felix ille pater, cui surgit imagine viva  
 Natus, & in laudes crescit honore novas!  
 Filius is felix magni Patris æmulus hæres  
 Qui sic virtutis tramite rectus abit!  
 I felix! Tua quo virtus vocat, i pede fausto

I, cui

I, cui præcinget docta tiara caput!  
 Qui manet hinc plausus! quàm gaudia magna sequentur,  
 Et quæ pro meritis nomina deinde manent?  
 Quæ Tibi grator ego, grator magnoque Parenti,  
 Cui mecum est firmæ foedus amicitia.  
 Inde Tibi, inde Tuis cumuletur adorea laudum,  
 Olim quæ merito commoda mille ferat.

*Sic Nobilissimo Domino Candidato, Lauream in  
 Medicina strenuè capefcenti, acclamare voluit.*

MAXIMILIANUS PERCELLI, Histo-  
 riarum & Eloquentiæ in Academia  
 Marburg. Professor Ordinarius.

Wer der Musen läger liebet!  
 Wer Apollo fleißig höret!  
 Wer Minerven sich ergiebet!  
 Und die Kluge Göttin ehret!  
 Wer da frisch zu Felde lieget!  
 Und ist eyfrig tag und nacht!  
 Bis er einmahl obgesteget  
 Und behält die ober macht!  
 Den trägt Fama durch die Felder  
 Auff Parnassus Hohe Spiz!  
 Das erschallet durch die Wälder  
 Dessen sinn gelehrter Wis.  
 Ihr Herz OHO habt dergleichen  
 In dem Kampf der Musen Schaar  
 Wie Ihr endlich möcht erreichen  
 Des Galeni reiche Lehr  
 Nur allein dahin gestrebet  
 Zu erzwingen gang und gar.  
 Eure steges Krohne schwebet  
 Womit Euch der Musen Schaar

Wald

Bald will Krödnen Euren Scheittel  
 Wan Ihr nur diß erst verricht  
 Wie's erheischt die weise/ eytell  
 Ruhm alsdan Euch zugedicht.

Diese zeilen schrieb seinem Hochgeehrten  
 Herin Landsmann zu Ehren

CHRISTOPH FLEMMICH, Predi-  
 ger zu Duisburg und dieser Classen  
 zeitlicher Inspector.

**L**E podagre est sans doute un mal tres frequent,  
 Qui tourmente les hommes, & les rend languissants.  
 Et l' on s' efforce envain à trouver des remedes,  
 Qui puissent soulager, & apoter quelques aides.  
 On n' a jusqu' a present encor pû rencontrer  
 Aucun medicament, qui pûsse penetrer  
 Dans le fond de ce mal, dont la douleur cuisante  
 Rend un corps agité d' une aigreur puissante.  
 Mais vous mon cher amy! par veilles & par travaux  
 Montrant evidemment le remede à ces maux  
 Vous vous attirerez un renom dans le monde,  
 Qui s' épandra par tout sur la terre & sur l' onde.

*Cecy est pour remoigner à Mr. Le Candidat la joye  
 extreme que je ressents de le voir heureusement  
 finir ses etudes en prenant ses licences, & en  
 même temps l' affection cordiale qu' aura tout-  
 jours pour luy son tres humble serviteur & son  
 intime amy*

GEORGE GUILLAUME UN-  
 GEFUGK, LL. St. Ergö



ERGò peregrinis Tibi res succedit in oris,  
 Quam negat in patria doctus Apollo Schola?  
 Salicet haut rarò crescit feliciùs arbor,  
 Quæ patrium mutat commodiore solum.  
 Perge Machaonia clarescere, Frater, in arte,  
 Rumpat ut invidiâ viscera livor iners.

*Hac Fratri ad Summos in Medicina honores feliciter grassanti, fraterno animo adjecit.*

ANDREAS OTHO, Utriusquæ  
 Palladis Candidatus.

GEORGIUS ANDREAS OTHO,

*εισαγγελματιοδεις*

*Sudore Gigno, Ast Orate.*

PERvenit ad laudes ignava per otia nullus;  
 Nulli per ventos assa columba venit.  
 Non sudore suos gignit divinus Apollo  
 Natos. Quid tamen est, si pia vota tacent?  
 Jungitur hinc ora semper cum voce labora,  
 Illam si tollas, nil feret hæcce Tibi.  
 Hinc Frater dilecte Tibi, quia jungis utrumque,  
 (Perge bonis avibus!) Laurea jure datur.

*Sic conjunctissimo Fratri Summos in Medicina honores capescenti animum gratulatur*

JOH. WERNERUS BAUR,  
 LL. Cand.

1.  
 Sünd / da alles für freundlichkeit lachet /  
 Himmel und Erden / Luft / Wasser und Meer /  
 lustig und fröhlich sich jederman machet:  
 Venus den reihen / Mars führet das Heer /

D

2510

Wiß uns Apollo die Freude vermehren /  
Führen Herrn D.Z.H.E.N zu Höhern Ehren.

2.

O wie gern möchten wir jeko zugegen /  
Dieser preiswürdigen handlung zusehn /  
Unfre glückwünschung mit worten ablegen /  
Und mit annehmlichen diensten beystehn !  
Aber man wird sich des leichtlich bescheiden  
Daß es die ferne jekt werde nicht leiden !

3.

Nehmet dan / wehrter Freund / jeko für willen  
Diesen aufrichtigen Hergens - Wunsch an.  
Gott der Herz woll' an Euch gnädig erfüllen  
Was Euch nur immer erspriesslich seyn kan ;  
Leben / Gesundheit samt Reichthum und Ehren /  
Vielen bresthafften zum besten / bescheyren.

Marburg den 26. t.  
Marcii anno 1698.

Hiemit haben gegen den Herrn Candida-  
ten ihre schuldigkeit abstaten wollen  
Seines Herrn Batters Sämptliche  
Tischgenossen hieselbst.

**M**Inerva s' Voesterling en Nemesis Behagen,  
Wiens doorgeletert bryn met reden is omslagen,  
Sult Gy nu t' Worstelperk betreen, en in U kamp  
Beslechten d' Oorsack van dien overvinn'ge ramp,  
Wiens *Furie* meest uytbarst op d' onderste geleden,  
Hier door sal U r' *Gestoer* van t' *Negental* op Heden,  
De krakende Laurier selfs vlechten tot een Krans,  
En stellen U in Ry, by *Doorgeleerde Mans*,  
Nadien de lent U s' tyt gedurig style schriften,  
Met alle schrandtheit doet recht naer waerhyt siften:  
So stell m' U dan ten *Top* van 't *Hooge Meesterschap*,  
La God Apollo selfs die gont U d' *Eerste Trap*,

Stoort

Stoot Hippocraet strax weg, verbant de *Ou Galenen*,  
*Machaon*, *Podalier*, die lopen blaue schenen,  
 Hoewel haer Werken goet, nochtans met talmery  
 Bemorselt; dies so tre Heer *OTTHO* aen syn sy,  
 En toon dat *Vrou Natuer* schonk selfs U dese gaven,  
 Die U op 't moedigts doen tot aen 't gesternte draven,  
 Ia vaer so immer voort! dan queekt Gy 't *Ou Gebeent*  
 Van U Heer *VADER*, die op U dan namaels leent.

*Dit vijnige heeft, naer toevvensching van alle  
 prosperitijt, den HooghGeleerde Hr. CANDL-*

*DAET, nyt schuldlige vrimschaps pligt,  
 moete toeferten*

L. ESSENIUS B. G. M. C.

**E**xponis luci, clarâ testante Cathedrâ,  
 Ingenii dotes, suavis Amice, tuas.  
 Latamur cuncti, cuncti miramur opimos  
 Progressus, cuncti prospera vota ferunt.  
 En Phœbus tantos lauru vernante capillos  
 Cinget, & ingenio præmia digna dabit.

φιλικῶς ἐνεκα αρ.

H. ENTROP, S. S. Th. Cand.

**Q**uid mea Musa facis, formidas tempora Pacis?  
 Non vides hæc oculis, signa futura tuis?  
 Pallida mors cecidit tumidus Mars arma refugit:  
 Nam Medicus morbos opprimit arte feros.  
 Cum Libitina suas acuisse sæva sagittas,  
 Mox Doctor frangis tela eruenta necis.  
 Opprime tela necis, succurrunt Pharmaca læsis  
 Eveniat toto quod tibi corde peto,  
 Nunquam deponas, docto de pectore curas.  
 Hoc petit assiduus, quis? Patriota tuus.

J. H. MOLLERUS. S. S. Ministerii  
 Cand. Milsungensis.

Ad

*Ad Nobilissimum atque Doctissimum Dominum*

GEORGIUM ANDREAM OTHO.

**S**ic, Magni Patris soboles genuina, laboris  
 Affidui laudem præmia digna capis!  
 Dum tibi Duisburgum sua Doctoralia jura  
 Largitur meritò gratulor inde Tibi.  
 Opto diu valeas, Patriæ hic gloria terræ:  
 Candidus hæc breviter scribere jussit amor.

H. HESSLING. M. St.

**P**ODAGRA dat drommels goetie,  
 Sic my weder in myn voetie,  
 'K woud' ick imand vinden kufft,  
 Die HET te verdryven wift.  
 Als een ander gaat ter Kercken,  
 Of te wand'len, of te wercken,  
 Moet ick sitten by den vier  
 Als een ouden Lammen Stier.  
 Moet ick als een gryse Dutter,  
 Met de tanden in de butter,  
 Met de scheenen voor de Vlam,  
 Sitten als een duldig Lam.  
 'K heb myn gelijzen al Spandieret,  
 Aen de DOGTERS quackelietet,  
 'K heb so veel om raat gevraagt,  
 Echter noch geen hulp bejaagt.  
 Nu wil ick eens selfs gaan soecken,  
 Manck myn scriften, manck myn boecken,  
 Of'er noch waar Medicyn.  
 Mochte syn voor myn gequyn.  
 Maar wat is DIT voor een BOECKJE,  
**DAT** hier so alleen in 't hoeckje,  
 So verwaat gelyckt te syn,  
 Ja. wat mag HET dog wel syn.

Wel! na dat ick kan bemerken,  
 So sal DIT myn voerjes stercken,  
 't Handelt juist van 't PODAGRA,  
 G'lyck ick mercke voor en naa.  
**WIE** mag doch den AUTHOR wesen,  
**DIE DEES' RECEPTEN** uytgelesen,  
 So vortrefflick heet gemaect,  
 Dat ick doch eens by HEM raect.  
 'K Sie HY wil 't bedISPUTIEREN,  
 Heden; Keck'len, DEFENDEEREN,  
 So HY dan den fryt behout,  
 G'wis so is HET sonder fout:  
 So sal DIT myn klagten stelpen,  
 En myn krancke pootjes helpen.  
 Waarlyck HY moet DOCTOR syn  
**DIE** soo'n heilsahm Medicyn  
 Oyt of oyt weet uyt te vinden,  
 Om de JONCKER te verliedern.  
 Maar 't is veel te lang gepraat,  
 Daar soo'n foet geselschap staet,  
 Nu so wensch ick HEM veel jaren,  
 Langsahm moet HEM wedervaren,  
 'T Slytig knagen van de Tydt,  
 Tot SYN haters hoon en Spyt.

*Dit settede ter ehRen v An den HochGelehr  
 dEn Heer Doctorandus Een van  
 Sijn Goede vr lendeN.*